

πᾶσα γὰρ ᾗ τοῦτο ἔστιν . Verus ergo anguli finis utiq; noscendus est , qui ubi satis constitit , non nimium adducto ungue scalpellus adhibendus est : deinde excidenda ea membranula , ne quid ex angulo lædatur . Eo deinde ex melle linamentum super dādum est : supraq; linteolum , & aut spongia , aut lana succida , proximisq; diebus diducendus quod tidie oculus est , ne cicatrice inter se palpebræ glutinentur . siquidem id quoq; tertium periculum accedit : eodemq; modo linamentum imponendum , ac nonissime inungendum collirio , quo ulcera ad cicatricem perducuntur . sed e a curatio uerna esse debet , aut certe ante hyemem : de qua re ad plura loca pertinente semel dixisse satis erit . nam duo generā curationum sunt . alia in quibus eligere tempus non licet , sed utendum est eo , quod incidit , sicut in vulneribus , & in fistulis . alia in quibus nullus dies urget , & expectare tutissimum , & facile est : sicut euenit in ijs , quæ & tarde increscunt , & dolore non cruciant : in his uer expectandum est . aut si quid magis pressit , melior tamen autumnus uel æstas , quàm hyems est . atq; is ipse medius , iam fractis æstatibus , nondum ortis frigoribus . quo magis autem necessaria pars erit quæ tractabitur , hoc quoq; maiori periculo subiecta est . et sæpe quo maior plaga facienda , eo magis hæc temporis ratio seruabitur .

De enchanti tuberculo.

X curatione uero unguis 'ut dixi, uicia nascuntur: quæ ipsa alijs quoq; de causis oriri solent. interdum enim fit in angulo, parum ungue exciso, uel aliter tuberculum, quod palpebras parum diduci patitur, ἡ χαρτὶς græce nominatur. excidi hamulo, & circumcidi debet, hic quoq; diligenter temperata manus, ne quid ex ipso absdat. tum exiguum linamentum respergendum est uel cadmia, uel atramento sutorio: inq; eum angulum diductis palpebris inferendum: supraq; eodē modo deligandum. proximisq; diebus similiter nutriendum tantum, ut primis aqua egelida, uel etiam frigida foneatur.

De ancyloblepharo oculorum uicio.

Interdum inter se palpebræ coalescunt: apeririq; non potest oculus. cui malo solet etiam illud accedere, ut palpebræ cum albo oculi coherescant: scilicet cum in utroq; fuit ulcus negligenter curatum. sanescendo enim quod diduci potuit, et debuit, glutinabit: ἀγκυλοβλήφαρος sub utroq; uicio græci uocant. Palpebræ tantum inter se coherētes non difficulter diducuntur, sed interdum fru-